

3

33

34

35

36

37

38

Cr. 15. num. 37.

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

VTRVM ANTICIPATIO
VSVRARVM, VSVRARIAM PRAVI-
TATEM INVOLVAT

CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIA
IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE NEC NON FACVLT. IVRID.

SENIORE ET ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

A. D. XXIII. MAII MDCCCLXXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES BALTHASAR PVCHAV

GVBENA - LVSAT.

LIPSIAE

E X O F F I C I N A L O E P E R I A .



EXHIGATIONE LARIDICA

CAESARIONI

CITIUM ANTIQUARIATU
ASZARVM ASZARIAE PRAEV
TATUM INNOVAT

CONTINENS

IN HISTORIA LARIDICA QUIDAM M. OF ORIGINALE

PRAEVAE CIDE

DE ERID. GOTTLIEB. ZONIERO
GOETHE. DEUTSCHE Dichtung und Gesinnung
IN GÖTTLICHEN LARIDICO. 1782.

IN AGRICULTORIO IECTORVM

ANNO MDCCLXXVII. MAIUS.

LARIDICO DESIGNAT

JOANNES BALTUS LARIDICO

ILLUSTRE

EX OFFICINA F. F. FRIEDR.



VI

§. I.

Vsurarum verbum ab usu descendere probatae sibi scriptores defendunt, est enim quasi merces et pensio usus pecuniae, cuius sententiae veritatem ICti quoque Romani sua decisione confirmant: ait enim Tryphorinus l. 23. ff. de pignorat. action. Nec enim amplius a debitore, quam debiti Summam consequi poterit. Sed si stipulatio usurarum fuerat et post quinquennium forte, quam pretium ex re obligata consecutus fuerit, victus eam emtori restituit, etiam medii temporis usuras a debitore petere potest, quia nihil solum ei esse, ut auferri non possit, palam faciūt est. Sed si simpliciter praestitit, doli exceptione repellendus erit ab usurarum praestatione, quia habuit usum pecuniae pretii, quod ab emtore acceperat et l. 60. pr. ff. pro to. Soc. dicitur, Socium, qui

A 2. *de iuris civilibus et iure canonico* in

IV

in eo, quod ex Societate lucrificaret reddendo moram adhibuit, cum eat pecunia ipse usus sit usuras quoque praeflare debere. Diuersi sunt huius vocabuli significatus, interdum enim denotat foenus, *Cuiac. in Paratil. Cod. de Sentent. grae pro eo quod interest:* quod tamen nomen ad solam quantitatem creditum sive nummarium mutuum non pertinet, uti perperam vulgo creditur: interdum denotat poenam *I. 15. Cod. de usur. I. 3. §. ultim. ff. d.t.*: alias denotat redditus *Nou. 160. praefat.* Propria vero notio est accessione fortis, quam ob causam Imperator id quod frumenti vel hordei mutuo dati accipimus *I. 12. C. de usur.* accessionem vocat quod decisione probat *Arcad. et Honor. I. 24. C. de administr. tut.* Aurum argentumque et quicquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur potuerint in tuiissima custodia collocent, ita tamen ut ex mobilibus aut praedia idonea comparentur, aut si forte idonea non inueniri, iuxta antiqui iuris formam usurarum crescat accessione, quarum exactio ad periculum tutorum pertinet.

§. II.

Optimo iure itaque usuras dicimus accessiones, debitae quantitatis ob huius usum, creditori a debitore praestandas. Consentient nobiscum hac in parte Canonistae, quibus usurae sunt lucrum supra sortem exactum vnicae propter officium in dato mutuo, praestitum. Detestabile equidem ab initio ius canonicum putauit usuras, easdemque patres sub poena ejectionis damnarunt *c. 5. X. de usur.* et Clemens Conf., vnicus de usur. eas, qui usuras accipere peccatum non esse existiment, pro

pro hereticis haberi vult, cuius cause triplex sibi fin-
gunt fundamentum 1) quod Scriptura sacra his reclamat
Pf. XV. v. 5. ad quem locum prouocat Conc. Nicen.
17. 2) quod Christus Luc. VI. v. 35. verbis, mutuum
date, nihil inde sperantes eas interdixerit conf. c. 10. X.
de usur. 3) quod patres ecclesiastici, qui ingentem me-
rinent fidem et concilia eas damnauerit, ceu detestabili-
le avaritiae genus. conf. cap. 18. X. *de usur.* et Ambrosius
c. fin. C. XIV. Qu. 5. earum iniquitatem verbis, vbi ius
belli; ibi ius usurarum agnouerit. Sed profiteri cogor,
Pontificem Scripturam sacram non intellexisse aut intel-
ligere noluisse. Loca enim quae ex Scriptura sacra citauit,
non agunt de usuris in genere, sed tantum de illis, quae
dilectionem proximi offendunt, quod fit vel ob qualita-
tem debitoris, si ab egenis nempe exigantur, vel ob
quantitatem usurarum, quando nempe creditor ex dam-
no debitoris fit locupletior, quales personae nomine
foeneratorum appellantur, et omni tempore in odio
fuerunt. Constat quippe ex Catone et Tacito, legibus
duodecim tabularum furibus poenam dupli, foeneratoro-
ribus quadrupli fuisse impositam, et cum Cato, qui foe-
neratores improbos appellabat ciues, interrogaretur,
quid esset foenerari, eum respondisse refert Cicero,
quid hominem occidere. Usurarum enim exactiōnem
in vniuersum esse interdictam, aut turpem, nemo asse-
rere audebit, dummodo consideret non esse lucrum su-
pra sortem exactum propter officium mutationis, sed
pretium vel aestimatio usus fortis consumtae cum dam-
no creditoris. Nec officio contrarium est sic alium
iuuare ut nos seruēmus indemnes. Itaque, si quaestum
certum facere potuisti pecunia, quam mutuo das, aut
ea

ea propter damnum incurris, non est iniquum, eius rationem haberi, cum nemo alteri suo cum detrimento benigne facere cogatur. Ne ipse quidem Apostolus ad Cor. 8. v. 3. vult sic nos alii commodare, ut nobis sit aduersio, et haec causa potissimum sustinet usuras, cui accedit, quod Pontifex ipse usuras tanquam interesse damni emergentis admirerit. *Heig. part. 2. Qu. 1. n. 141.* Exinde usu fori recepta est sententia, quod ecclesiis usurae etiam de pecunia mutuo dati adiudicentur in concursu creditorum, quantumvis reliquis de sorte satisfactum haud fuerit *Carpz. XI. C. XXIX. def. 171.*

n. 2.

§. III.

Dividere solent plerique usuras, in compensatorias, punitorias et mordentes, sive lucratorias, sed cum de his iam constet ex Systematibus, non prolixius hanc materiam tractabo, id tamen silentio praeterire haud valeo, quod usurae punitoriae, quarum fundatum suppediat mora debitoris, proprie non sunt usurae, sed interesse damni emergentis. Nec inane hoc dictum esse, quilibet intelliget, simulac ostenderim usuras et interesse in effectu vere differre. Usurae enim ceu supra dixi sunt accessiones quantitatis propter eius usum praestandae, Interesse vero non est accessio quantitatis, sed causae cuiusvis alterius, seu, ut clarius rem exponam, id quod interest denotat proprie aestimationem illius utilitatis, quae dolo vel culpa alicuius extra rem principalem nobis abest *I. 13. et 23. ff. de act. emt. I. 193. π. de V. S.* Usurae autem eam tantum accessionem rei principalis

palis seu sortis denotant, quae per se sine contemplatione dolii vel culpae praefanda est propter rei usum. Cui accedit, quod interesse versetur circa rem cuiuscunque generis, excepta ea, quae in quantitate posita est *I. 3. ff. de lit. iur. nummis enim depositis, iudicem non oportet in item iusurandum deferre ut iuret, quisque, quod sua interfuit, cum certa sit nummorum aestimatio.* Usura vero est ea comoditas et accessio, quae proprie circa quantitatem versatur *conf. Vultej. Iurisprud. Rom. lib. I. c. 44. num. 67.*

§. IV.

Quemadmodum vero in omnibus maxime tamen in iure *I. 90. ff. de R. I.* spectanda est aequitas, ita leges praecipue de eo fuerunt sollicitae, ne creditor ultra modum, petendo usuras conditionem debitoris efficiat plus iusto duriorem, et ex eius damno fiat locupletior. Determinarunt hanc ob causam non solum quantitatem usurarum, sed modum quoque easdem petendi, et si contra praescriptam formam agat creditor usurariam prauitatem hoc delictum vocarunt, quod iure ciuili, Canonicō, nec non legibus Imperii pariter et Constitutionibus Saxonis grauem promeretur poenam. Non equidem omnes recensebimus excessus, quibus se usurariam sponte constitutus creditor, cum haec nimis prolixa fieret elaboratio, nec titulo huius scripturae conueniret id unicunq; tantum, vtrum nempe creditor, qui anticipando i. e. ante diem restitutioni sortis praefinitum, a debitore usuras exegerit, usurariam prauitatem committat, cum hac de re diversa sit opinio in praesentiarum paulo penitus inquirere liceat.

V.

VIII

§. V.

Non deficiunt, qui sententiam, quod anticipatio
vsurarum aequitati pariter, et legibus sit contraria, de-
fendere student, quorum argumenta speciem veritatis
prae se ferre videntur. Sunt nempe vsurae, yni in pra-
ecedentibus demonstrauimus, accessiones sortis. Ex-
pediti vero iuris est, accessionis sequi principale.
Quodsi itaque debitor, qui contraxit mutuum, certum
diem restitutioni sortis, consentiente creditore sibi ele-
gerit, lex contractus creditoris exactiōnē sortis peni-
tus prohibet, et debitori exceptionem plus petitionis
in continentī liquidam eo cum effectu tribuit, vt cre-
ditor cum refusione expensarum a limine iudicij rece-
dere cogatur. Pactum contractui adiectum, quo debi-
tor vsuras legibus approbatas, creditori vna cum sorte
promittit, effectum ex contractu principalī sortitur, et
cum creditor ante diem sortem repeteret nequeat, vsu-
ras, quae sortem sequuntur, exigere non posse conten-
dunt, potius exceptionem plus petitionis et hoc in casu
obtinere censem.

§. VI.

Cui accedit, quod aequitas creditori repugnare vi-
deatur. Ponas enim casum, Titium in tristī conditione
esse constitutum, vt nisi hodie ducentorum thalerorum
summam soluat, carcēris inclusionem metuat. Caius
rogatus haec quantitatē Titio mutuo perduos annos dat
et stipulatur sibi vsuras, easdem vero detrahit sorti, et an-
ticipando retinet. Titius summam integrām, deficiunt
enim

enim decem vel duodecim thaleri ad euitandum carcerem et extinguendum regorem cambialem, soluere haud valet, necesse est premitur, ut nouum ad supplendum id quod deest summae ducentorum thalerorum contrahat mutuum, creditor, quem avaritia et voluptas inhiciunt alienis opibus delectatur, vestigia prioris creditoris presso pede sequitur et usuras consuetas anticipando lucrat. Hoc facto Titii conditio per se dura adhuc durior fit, crescit enim moles aeris alieni, et in maiorem perniciem incidit, qui ad euitandum hoc malum alterius auxilium implorabat. Cum vero in usurarum exactione, potissimum ad id sit respiciendum, ne creditor offendat dilectionem proximi, quippe in hoc casu usurarum praefatio legibus pariter diuinis ac humanis repugnat, peccare utique ius censendus est qui officia, quae ab eo iure peti possint, negligit. et iniquo modo lucrum appetit.

§. VII.

Reprehendendus hanc ob causam mihi videtur Brunnemannus ad l. 57. n. de poēt. qui exaeptionem sibi singit, circa pias causas, et quod illis competit licentia usuraras detrahendi forti, et anticipando lucrum exercere, assentit. Quod si enim anticipatio usurarum, quam creditor suscipit, per se sit iniqua et legibus contraria, non datur ratio, cur id quod iniuriam arguit, respectu ecclesiarum et aliarum piarum causarum pro aequo habendum. Quamuis enim fauorem mercantur piae cause, et legis patrocinium sibi vindicent, probe tamen est caendum, ne iniuriat concedamus priuilegium, et

B

pias

xi. 2

X

piis causis occasionem peccandi tribuamus. Nil enim efficit notio piae causae, potius eidem incumbit, alias exemplo praeesse, et legibus obtemperare, a quarum vinculo, secundum regulam, cum constitutam partem reipublicae et imperanti subsit, nunquam est immunis.

§. VIII.

Ea vero quae in contrariam partem proferuntur, non tantam habent vim, ut vincant veritatem. Potiori iure ad stipulam illis, qui anticipationem usurparum ad negotia permissa legibusque non contraria referunt. Auctoritatem huius adferti potissimum defendit Florentinus *l. 57. ff. de pass.* Qui in futurum inquit ICtus a debitorie usurpas accepit, tacite passus videtur, ne intra id tempus sortem petat. Haec verba si paulo accuratius perpendere velis, impenies ICtum non reprobare anticipationem usurparum a creditore factam, quod si enim improba fuisset actio, huic nunquam effectum pacti taciti tribuere potuisse. Potius cum lex creditorem obstringat, ne intra id tempus in quo usurpas a debitorie accepit, sortem repetere queat, affirmat sententiam, competere creditori potestatem detrahere usurpas sortis, sibique anticipando satisfacere. Quod pari modo probat Vlpianus *l. 2. §. 6. π. de dol. mal. et metr. except:* secundum cuius decisionem, Creditor qui usurpas in futurum accepit, a petitione sortis, antequam id tempus praeterierit, cuius temporis usurpas accepit, doli mali exceptione repellitur: nec alienus est ab hac sententia Scaevola *l. 122. ff. de verb. obligat,* et Imperator Iustinianus *l. 28. C. de usur.*

§. IX.

§. IX.

Putat equidem Leyserus in *Medit. ad Paudeff. Sp. 243. m. d. 9.* Iure Codicis sublatum esse ius Digestorum et anticipationem usurarum penitus interdictam, ad quod spectare videntur verba legis. *Interdicta licentia creditoribus ex pecuniis foenori dandis aliquid detrahere vel retinere siliquarum nomine, vel sporularum, vel alterius cuiuscunque cause gratia.* Non sequor hac in parte sententiam Schilteri qui hanc legem de anticipatione, quae invito debitore fit, intelligit, atque hanc solam ibi interdicte, illam vero in quam debitor consentit, permitti putat. Consensus enim debitoris usuraras illicitas nunquam facit licitas, quia contra leges nemo agere potest, nec pactum, quod leges prohibent, ex consensu partium valorem consequitur. Potiori iure mihi afferendum est, hanc legem ad nostrum casum plane non pertinere. Imperator enim Justinianus, cui hanc decisionem debemus, de immodicis usuraris tantum agit, et earum exactionem interdit, quod non solum ex verbis initialibus §. 1. sed etiam ex verbis subsequentibus. *Si quis autem aliquid contra modum huius fecerit constitutionis, nullam penitus de superfluo habeat actionem, sed et si acceperit, in formam hoc imputare compelletur:* fatis abunde apparent. Coercere itaque voluit Imperator fraudem foeneratorum, et ne in excedendis usuraris iniuriam debtoribus inferant teste Accursio ad hanc legem, occasionem quae ad se linquendum incitare potest, restrinxit. Cum itaque prohibite anticipationis usurarum nullam fecerit mentem, lex vero correctoria strictissime sit interpretanda, ita, ut a casu expresso, ad non expressum non fiat applicatio, saluum manet ius Digestorum, quod creditori licentiam usuraras detrahendi sorti, permittit. §. X.

§. X.

Nec video, cur Mornacius ad l. 57. *ff. de pac*t**.
quem sequitur Struu. Syntagn. iur. ciu. exercit. XXVII.
§. 57. hanc sententiam moribus Christianorum impro-
batam dicere queat. Debitor etenim, qui v*is*uras legiti-
mas promisit, ex pacto quod nec legibus nec aequita-
ti, nec bonis moribus repugnat l. 6. §. 7. *ff. de pac*t**. ita-
re perfecto tenetur. Quod si itaque debitor non ex-
presso cum creditore conuenerit, vt v*is*urae eo demum
die, quo fors principalis restituatur, exsoluantur, in ar-
bitrio creditoris v*is*ique positum est, v*tr*um v*is*uras sta-
tim sorti detrahere vel dilationem debitori concedere
velit. Dic mihi quae*so* iniquitatem, quam committit
creditor, qui anticipando exigit v*is*uras, v*tit*ur enim iure
suo, et propterea reprehensionem haud meretur, cum
is, qui suo, v*tit*ur iure nemini inferat iniuriam. Et que-
madmodum non inique agit locator, qui a conductore
antequam re conducta v*ti* incipit mercedem ex contra-
ctu exigit, ita et creditor, qui ob v*sl*um pecuniae credi-
tiae, v*is*uras ab initio contractus petit et sorti detrahit im-
probi hominis notam non meretur, nec anticipando v*is*u-
rariam prauitatem committit.



ULB Halle
005 377 420

3



Cr. 15. num. 37.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

VTRVM ANTICIPATIO
VSVRARVM, VSVRARIAM PRAVI-
TATEM INVOLVAT

CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAЕ
IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE NEC NON FACVLT. IVRID.

SENIORE ET ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

A. D. XXIII. MAII MDCCCLXXVII.

PVBICE DEFENDET

IOANNES BALTHASAR PVCHAV

GVBENA - LVSAT.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

